

V I T A A C D O C T R I N A.

simplicius minore' que sumptu iuuare, si qua in ipsos pietate mouerentur: quæ in Galeno certe erga pauperes maior fuit, quam in plerisque hodie Christum ore, non opere, profitentibus medicis. Itaque seplasiarijs, aromatarijs & institoribus eiusmodi (qui ut aliud nihil dicam, sæpe uilissimis calculis aut uitro gemmas, & preciosissima quæque nullius aut minimi precij adulterinis mentiuntur, siue sponte, siue per imperitiam) relictis Galenus, ut meliori fide ac sumptu minore medicamenta haberet composita, suis manibus plerunque confecta, officiosissime ægris administrabat: in egenos interim non exiguam suarum facultatum portionem erogans: artem' que ipsam non auaritia ductus, aut quapiam cupiditate: sed propter solam uirtutem pie simul & religiosè exercens. Quod si qui minùs locupletes sunt, quam Galenus fuerit medici, nec eis redundat fortè quod egenis largiantur, tanto maiore studio illi hoc agere debebant, ne suis etiam facultatibus eos defraudarent: sed uictus in primis ratione, & medicamentis minimi sumptus, illis consulere. Iam quod sapius die noctu' que ad eundem quandoque ægrum, ut ipse de sese scribit; Galenus accessit, diligentia simul eius (qua subinde magis magisque in arte profecit, & hominum erga se amandum animos conuertit) simul & pietatis in ægros argumentum est. Quin & pernoctare interdum apud ægros solebat, cum ministrorum diligentia ei suspecta erat: & domum suam aliquando curandos deducebat. Eadem pietate nihil unquam (ex ualidioribus præsertim auxilijs) ægrotis exhibuit, cuius uis & usus per experientiam ei non constaret, ut ipse scribit in primum Epidemiorum Hippocratis Commentario secundo, numero 50. & hoc imprimis studuit, ut si non multum iuuaret ægrotum suis consilijs, saltem non læderet, plerorumq; autem experientiam ipse in sese fecit, non solùm gustando omnia, & ex odore sapore' que iudicando, sed etiam cuti suæ imponendo. sic aceti potentiam ut acurate experiretur, in seipso periculum fecit: & oxyrhodino sæpe perfusus est, ut eius uim certius teneret. Et ab initio cum iuuenis adhuc multa egregia & laudata à præceptoribus aijs' que pharmaca nactus esset, ut citius certius' que de omnibus ei constaret, nulla inuidia, summo candore, amicis medicis ut experirentur communicauit. Libro etiam quinto de morbis curandis: Horum (inquit) quæ retuli uel modò uel antè, siue ea inueni ipse, siue iuxta Hippocratis uiam usurpauit, nihil sanè non examinatum ac iudicio comprobatum est: sed per experientiam omnia iudicata, in quibus erroris pericula ipsi pertulimus. Eandem uerò diligentiam & fidem in scribendo quoque obseruauit, ut paulò post dicetur.

Cæterum eodem, quo in ciues suos studio & obseruatione eum fuisse diximus, fuit etiam in amicis, quorum gratia tum in obeundis curationibus, tum in conscribendis libris tot labores ac uigilias, nec sine periculo uitæ nonnunquam, sustinuit: neque enim ob aliam causam ullam, non honoris, non ambitionis, qui gloriæ adeò fuit negligens, ut libris proprijs nomen suum inscribere non sustineret. In præceptores autem ea fuit obseruatione, ita reuerenter habuit, ut nusquam non magna religione illorum mentionem faciat, id' que frequenter, & non sine magno affectu: sic libros quoque eorum desiderat nonnunquam, tametsi non par tantum illis omnibus esset, sed & longo interuallo in arte superaret. Hippocratem uerò peculiariter ita admiratus est, ubi per obseruationem experientiamq; eorum quæ tradidisset fidem eius uiri cognouit, ut religiosissime semper coleret: omniaq; eius inuenta ingenuè agnosceret, & rarò, & non nisi ueritate coactus, & honorificè semper ab eo dissentiret. Hunc passim prudentissimum & sapientissimū senem, summum' que medicinæ parentem, autoremq; & largitorem bonorum omnium institutorum, prædicat. Visus' que est artem totam in illum autorem referre, quamuis non minùs ipsi Hippocrates, quam ipse illi debeat. Sunt hæc omnia ingenui candoris & magne pietatis indicia. Poterat enim, uti priores medicorū illustres fecerant, nouā sectam instituere, et se hæreseos alicuius, proprii nominis authoramēto, principē facere, in qua solus scilicet imperaret. ad quod efficiendū, si uoluisset, nihil eorum sanè, quibus ad id erat opus, ei deerat. Verum hoc facere noluit, quæ summa eius modestia est. Sed quemadmodū Traianus olim omnes Italię uias inaccessas præruptasq; aut rupibus inuias, refecit, instaurauitq;, quò facilius peruadi possent: sic ille fatetur se, nō quidē artem cōdere, (quam tamen laudem iure sibi uendicare potuisset) sed iam ab Hippocrate inuentā, incultā tamen & asperam, explanare, ut ab omnibus intelligi ac percipi queat. Sed ut præsentem de Galeni moribus sermonem claudamus, uirum illum fuisse dicamus, prudentem, ingeniosum, solertem, frugalem, temperantem, magnanimū, liberalem, humanum, iustum, innocentem, integrum, ueracem, undiq; bonū: & non solùm patriæ & amicis, sed toti humano generi iuuando natum.

Nunc de doctrina eius uerba faciemus, non quidem primæ institutionis, de qua satis dictum est supra: sed eius iam adulti, & iam tum uerbis scriptisq; tum opere ipso suam declarantis in philosophiæ simul ac medicinæ cognitione præstantiam. Ad hanc uerò tantum eum peruenisse minus mirū est, tum propter aliquas iam expositas causas, tum quoniam per omnem uitam ueritatis studio demonstrandiq; scientiæ unice deditus fuit: alia uerò negotia, quibus diuitias, uoluptatem aut gloriam plerique uenantur, prorsus neglexit. Itaque in libro de subfiguratione empirica, negat sibi occupatissimo in muneribus artis, tantum ocij superesse, ut nugis superuacuis fabulisque differendis, bonas horas amittat. Animaduertit enim non in alia distractum esse negotia

Afidiuitas.

oportere illum, qui medicam artem exercere statuerit, rem adeò per se immensam & amplam, ut preclare agi nobiscum existimare debeamus, si uel in primo senectutis limine hanc ipsam, quod factis sit, fuerimus assequuti, nedum uacet alijs ac diuersissimis distineri occupationibus. Quapropter fugere hæc omnia oportet, cum que his ebrietates, comestationes que nimias illas, turpissimas libidinum uentris que & gulæ illecebras. Itaque non solum mala illa negotia uitauit, omnis uirtutis impedimenta: sed etiam omne in literarum & rei medicæ amplificandæ studijs assidue collocauit. quo consilio non est aliquando ueritus, ne Cæsarem sequi in Germaniam cogereetur, armorum que experiri strepitum, religionis apud eum uti cuiusdam excusatione. Continuo certe scribendi legendique labore ualetudinis etiam interdum contraxit nonnihil damni: nam & diaria aliquando correptus est febre ob uigilandi consuetudinem: & ob hoc ipsum, quum iam consistere ætate cœpisset, somnum amiserat. Hac tam assidua & indefessa diligentia sua plurima sanè consecutus est, quæ arti adiecit. Scribit alicubi, se pulsam cuidam tetigisse sex mensium spatio: & cum per multos annos incertus fuisset de arteriæ contractione, et alijs quibusdam, improbè in perquirendo constantia tandem reperisse. Sic etiam ab adolescentia dies decretorios obseruare incœpit. Hoc studio omnem ferè simplicium medicamentorum, de quibus ueteres aliquid scripserant, materiam uidere & cognoscere uoluit: eam que ob causam de simplicibus medicamentis conditos à se libros annis pressit undecim, donec incomperta quædam sibi adhuc exploraret. Et ut tum noua quædam uideret, & exquisitissima in unoquoque genere sibi compararet, sicut iam supra diximus, nauigauit in Cyprum, Lemnum, Cretam, & Palæstinam Syriæ, ut pluribus indicauit supra in peregrinationum eius mentione. ad quæ uerò loca proficisci ipse non potuit, inde sibi adferri curauit. Itaque in opere de componendis medicamentis secundum genera: Adhortor (inquit) amicos omnes, si artis opera pulchrè obire uoluerint, ut me imitentur: qui ex omninatione quotannis præstantissima medicamenta ut mihi adferantur, curo: eò quod perditissimi omnigenarum rerum coemptores, illa in dies adulterijs contaminant.

Linguarum diuersarum cognitio.

Verum in simplicibus medicamentis in uniuersum quidem apprimè eruditus fuit Galenus: in singulis autem non adeò exercitatus, ut mea coniectura fert: quoniam nullum ferè medicamentum ne nominat quidem, quod à Dioscoride & alijs ante ipsum non fuerit nominatum. & in uiribus describendis aliud nihil ferè docet, quam quod ante ipsum Dioscorides docuerat: nisi quod particulatim ab illo dicta, ad uniuersalia quædam redigit, & graduum differentias assignat. in quo certè plurimum iudicij diligentia que adhibuit, in ijs præsertim quæ gustare & iudicare acuratiùs uoluit & ausus est. quædam enim uehementiora gustare non sustinuit, ut thapsiam alia que erodentia, sicuti ipse scribit: & ut conijciunt nostri temporis quidam non indoctè, uniuersales primasque facultates, ex posterioribus & effectibus aliquando collegit: id quod non semper succedit. quædam enim tota substantia agunt, aut uiribus quibusdam occultis: aliqua per accidens: & idem effectus aliquando à diuersis causis produci uidetur. Hæc eadem diligentia suæ improbitate, linguas seu dialectos Græcas ferè omnes perdidicit: & exquisitiùs quidem Atticam ac Ionicam: minus uerò, Doricam & Aeolicam, in his enim duabus plura se ignorare quam scire fateatur, in Attica uerò contra. De Ionicis quidem nominibus, libro secundo de differentijs pulsuum alicubi, se scripturum promittit: quod an plenè præstiterit, nescio: præstitit autem ex parte, interpretatus glossas, id est obsoleta uocabula Hippocratis Ionici scriptoris. Quanquam uerò tum puritate linguæ Græcæ plurimum excelleret, nunquam uel barbarissimum uel solæcissimum, uel parum bene ac propriè dictum cuiquam obiecit: sed omnibus loqui ut uolebant per ipsum licuit: tantò rerum quam uerborum studiosior erat. Latini sermonis peritus an fuerit, ambigitur. Ioannes Guinterius uir summæ eruditionis, in oratione de ueteris medicinæ interitu, Latini sermonis Galenum (inquit) non imperitum fuisse declarant compositiones medicamentorum ab eo translatae è Largo, Antonio Musa, alijsque Romanis scriptoribus. Sed potuit compositiones illas ab alijs translatas accipere, & aliorum opera uti. Libri quidem primi de differentijs pulsuum ad finem secundi capitis, cum tardi & uelocis, rarique ac densi significationes distinxisset, & hæc propriè de interuallis, illa de motibus dici docuisset, subdit: Quod si quis aliter hæc accipere uelit, neque Græcos neque Latinos sequi dignatus, illi permittendum est ut Cadmeam uictoriam uincat. Sed hic quoque idem responderi & retorqueri potest, quod supra, aliorum amicorum uel familiarium opera fortè Galenum illa didicisse cum hæc scriberet & commentaretur: aut si prius ipse intelligebat, non tamen pauca uocabula Latina intelligentem, Latini sermonis peritum dicemus. Certum est eum semper animum ad patriam adiecisse, & nunquam in Italia manere proposuisse: iam que grandiore natu Romam uenisse, & lucubrandi medendi que negotijs semper occupatissimum fuisse: ut neque consultò, neque obiter ut iuniores solent, linguam latinam eum didicisse probabile sit, præsertim cum nulli ferè neque medicinales neque philosophici libri Latine conditi extarent, quorum gratia operæ precium hanc linguam sibi addiscendam existimare potuerit. & si quæ extrabant, ex Græcis pleraque deriuata erant: aut in eodem argumento, non minus egregij libri Græci legebantur. Interim illum parum aliquid Latine intellexisse non dubito, propter

VITA AC DOCTRINA.

propter diutinam in urbe moram. Si tamen linguam illam probè intellexisset, prædicasset id proculdubio de se alicubi in scriptis suis, sicut Atticæ & Ionicæ linguarū plenam cognitionem, Aeo-licæ uerò & Doricæ minùs quam mediocrem, de sese prædicat. Cum Antonino quidem Impe- ratore, & alijs Romæ proceribus, quorum ualetudini curandæ, imprimis operam nauabat, Græ- cè colloqui potuit: ut nihil opus ei fuerit propter illos Latine loqui discere. nam propter plebem, ut publicè plebeijs hominibus mederi posset, Latinæ linguæ uacare eum uoluisse, non est ueri- simile, nec rationi consentaneum, cum & fortunæ beneficijs, alijsq; commoditatibus, & diuitijs abundaret, & à nimis populari usu medendi, propter perpetuas lucubrationes suas, & assidua stu- dia, alienus esset. Mecum sentit & facit in epistolis suis doctissimus Manardus, his uerbis: Gale- nus Latinam linguam non æquè ut Celsus, aut nequaquam norat.

Sed his iam reliqua de eius doctrinæ præstantiâ addamus. Nequè uerò scribendo solum (ita Doctrina præ-
stantia. ut nec in oratione puritas & elegantia, nec in sententijs & tractatione, uel oratoria uel dialecti- ca uirtus desiderentur) sed etiam dicendo differendoque, adeò semper ualuit, ut propositis in- æde pacis de more quæstionibus improuisis, publicè sapissimè ad omnia responderit, id que iu- uenis, quum Romæ degeret. Annum agens nonumdecimum, ut supra diximus, Athenæi se- ctatorem conuicit: & postea aliquando Stoicos & Peripateticos de sede animæ disputando su- perauit: & sæpenumero apud eruditos uiros, extemporales sermones habuit. Annum agens tri- cesimum publicè docuit. Sophisticam semper odio habuit: nihil que tam studuit, quam demon- strandi primùm scientiam tenere, deinde summo studio eam exercere: quod ei facilius fuit, quo- niam in mathematicis & scientiam facientibus disciplinis uersatus erat. Quinimmo ueluti furo- re quodam percitus, & diuino inspiratus afflatu, ad ueritatis studia persequenda, & uulgi famam fortiter contemnendam, ut ipse profiteretur Methodi septimo, ferebatur.

Porro quantopere Hippocratis doctrinam, omnis solidioris medendi artis fundamentum, & Hippocratis do-
ctrina ab eo ex-
cultâ. uniuersam ueterem medicinam, excoluerit ac illustrarit multifariam, ordine, methodo, præce- ptis que: & argumentis confirmarit disertissime, oratione uerò diserta ac eleganti exposuerit u- berrimè, & remediorum simplicium compositorum que descriptionibus locupletarit copiosis- simè, tanquam medicorum qui sunt qui que fuerunt omnium *διαλεκτικώτατοι ἢ φιλοσοφώτατοι μάλλον, ἀματερητορικώτατοι, καὶ λόγῳ καὶ ἐμπειρίᾳ ὑψίστατοι*, res ipsa & omnium eruditorum consensus loquitur clariùs, quam ut multis ad id explicandum sit opus uerbis, nisi quis in ipsam meridiem lumen inferri postulet. Pauca tamen, ut in ipsius laudibus & encomio animòs pasca- mus, tantique beneficii grata commemoratione nos oblectemus, & ad eius exempli imitatio- nem optimum ac ingeniosissimum quemque inuitemus, dicenda fuerint. Cum igitur olim principes tantum uiri philosopharentur, Hippocratis præsertim seculo & ante id, ipse etiam Hippocrates è magna gente, ut pote Heraclidæ filius, ab Hercule Æsculapio que genus ducens, genere & o- pibus præclarus, ad philosophiam ac medicinam accessit. Et quanquam gentiles eius Asclepia- dæ artem intra suam familiam detinerent, nec exteris communicarent: ipse literis, non solum particulares historias & remedia singula, sed artis etiam methodum, præcepta & præcipua capi- ta mandare cœpit, ingenuo nimirum candore & magna liberalitate, quasi hoc ipsum ageret, ut non Asclepiadæ solum, qui degenerare poterant, & genus eorum cessare, sed optimus quisque ad artis communicationem omnibus necessaria, ideoque in medium proponendæ admitteretur. Sed ut nihil inchoari simul & perfici à mortalibus potest, ita & medica ars ab Hippocrate (qui natus est anno primo nonagesimæ olympiadis,) inchoata & scriptis tradita primùm, rudior ad- huc, & in multis incertior ac inconstans, & multis postea seculis ueluti uaga, uarijs que distra- cta ingenijs, à Galeno demum tanto tempore post, ueluti altero Hippocrate, quem in illo *ἀνα- βιβάζουσαι*, dixeris, expolita, & confirmata perfecta que propemodum tota est. Nam cum similiter ut Hippocrates in philosophia præclare uersatus, & ingenio liberali præditus esset, rebus que ad hoc efficiendum, quantum quidem in unum hominem cadere potest, omnibus instructus, o- pus tam eximium & conari uoluit & perficere (Deo iuuante) potuit. Videntur autem primi il- li circa Hippocratem medici, & ipse in primis, in singularum tantummodo rerum inquisitione, quæ demonstratione peragebatur, uersati. Qua ratione etsi permulta problemata subtiliter in- uenirentur ac dissoluerentur, non tamen per illam constabat modus ullus totam disciplinam con- stituendi ex suis partibus in proprium ordinem digestis: sed sparsim & absque arte plerunque tra- debantur, quod præcepta artium tradendarum nondum haberentur: adeoque ne demonstra- tionum quidem regulæ præscribebantur. sed utebantur quidem demonstratione illi ad inquisi- tionem rerum, artem uerò demonstrandi, quæ præceptis constaret, nullam tradebant: ut eodem tempore in philosophia etiam à Platone factum uidemus. apparet enim ex eius libris, demonstra- tiuæ artis præcepta eum non satis calluisse, aut certè non absoluisse (& ea interdum pro indubi- tatis principijs posuisse, quæ è sacris literis aut maiorum autoritate petuntur: quæ si è sacris su- menda sunt ad demonstrationes, eadè opera quæstio ex eisdem sumi poterat, ut demonstrari eam nihil necesse sit:) & scientiarum limites non obseruasse, ut qui multa è diuersis scientijs, in eun- dem

dem librum congefferit. Sed philosophiam statim secutus Platonem Aristoteles perfecit, præcepta demonstrationum reliquit, scientiarum limites circumscripsit: et ne quid ad perfectionem totius artificij in docendo deesset, quo disciplinarum quæstiones per inquisitionem ἀποδεικτικῶν inuentæ ac dissolutæ, aptè connecterentur, postremò ipsarum ordinem pulchrè digessit, quatenus iubet ab uniuersalibus incipientes ad singularia descendere, idq; cum alibi disertè, tum clarissimè libro primo de generatione animalium ostendit. Sic in Physiologia affectiones τὰς καθόλου, quæ que rebus naturalibus uniuersis conueniunt, primo loco exposuit: deinde ea quæ sunt minus communia, & in pluribus rebus naturæ, non tamen omnibus conspiciuntur: ultimo loco quæ singulis speciebus, peculiariter insunt. Iuxta que hunc modum totam Physiologiam in totidem libros diuisit, quot sunt affectionum differentiæ. Cum igitur uniuersa methodus disciplinarum aut consistat in singularium quæstionum inquisitione, quæ demonstratione fit: aut in positione atque ordine partium totius disciplinæ, ubi demonstratione fuerint inuentæ: illam totam absoluit Aristoteles, acceptis quibusdam seminarijs à maioribus, hanc autem primus ipse commonstrauit: & insuper obscure ab illis aut etiam ænigmaticè dicta, tanquam uel ostentatione uel inuidia quapiam, ipse clarè & dilucidè exposuit. hoc ipso autem, καὶ ὅτι τὴν ἀκρίβειαν ἢ τοῖς ἀποδείξεσι προσέθηκε, Simplicius eum antiquioribus philosophis præfert: Platoni uerò, καθόλου διδόντες ὁρᾶς πῶσι τὰς τῶν ἀποδείξεων ἀνάγκας, καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτὸς ἀπὸ τῆς ἀδιόριστος, καὶ ἀπὸ τῶν προχέρον διόρων ἀποδείξει λαμβάνει. Cæterum eadem ferè Galenus in re medica præstitit effecti que primus, quæ in philosophica Aristoteles. Nam plerisque pulchrè inuentis ab Hippocrate, sed remissius atq; debilius traditis, rationes ualidiores adiecit: & multas rerum causas assignauit, ab illo præteritas, aut nondum forsitan cognitæ, aut exiliter sanè atque obscure traditas. Denique non modò demonstrationes quæstionum singularium perfecit: sed ordinem quoque methodi addidit, ita ut triplicis methodi, neq; enim plures laudatæ inueniuntur, usum & tractationem in arte medica copiosè ostenderit. In plerisque enim suis libris Analyticam sequitur methodum, in libro autem de cōstitutione artis, Compositiuā: ut Definitiuā in arte parua, de quibus omnibus, & quomodo à Galeno sunt obseruatæ, aut animaduersæ, qui plura nosse desiderat, doctissimā Gemusæi præfationē in Græca Galeni opera Basileæ olim excusa adeat. Interea uerò dum tantopere laudamus Galenum, Hippocratis medicinæ parentis laudibus ac dignitati nihil detrahimus. Principij enim ubique uis maxima est, etiam si re ipsa per exiguum sit. Et religio quædam ac reuerentia, rerum bonarum omnium causis ac principijs debetur. Itaq; & ueteribus, qui nobis occasiones ac rudimenta aliqua tradiderunt, & posterioribus qui absoluerunt nisi ab illis aliquid accepissent, nunquam potuissent, plurimum nos debere, gratis animis fateri & agnoscere par est. Tantum profecto Galenus lucis addidit arti post Hippocratē, ut nisi medicinæ is diu iam multum que laboranti medicinam adhibuisset, & tradita ab Hippocrate principia illustrasset, iaceret forte adhuc neglecta: nunc uerò quod ars est excolta, quodque Hippocrates legitur ac intelligitur, quod eum ex illo fructum capimus quē sentimus, hoc beneficiū Galeni totū est. Cætera nunc ut omittam, de arteriarum certè pulsibus nihil cum pertractasset Hippocrates (siue hoc ad medicinam nihil pertinere ratus, siue id etiam rem ignorans omnem fecerit) de horum differentijs, causis & ex ipsis dignotione, prolixè confecto ipse opere, hac quoque ex parte medicinam auxit & locupletauit.

Porrò præter Hippocratē & Galenum Medicinæ principes, ceteri ferè omnes tum Græci, tum Arabes, eorumque sectatores, nihil ad artis constitutionem contulerunt: & ex illorum libris ferè, quicquid aut lectione aut imitatione dignum habent, tanquam purissimis fontibus, exhauserunt, doctissimo nostri seculi uiro Iac. Syluio teste. Adeò, inquit, ingeniosa & studiosa, & dijs accepta fuit ueneranda illa antiquitas. Pauca quædam tamen, non ignaua omnino posteritati, rudis quidem, sed exemplorum fide plena, aut clariora reddidit, aut usu experientiæque frequenti certiora. Quæ unusquisque etiam mediocriter institutus, his uelut fundamentis adiungere potuit, hoc est Hippocratis Galeni que placitis. Quibus de medio sublatis, medicina sit uelut chaos antiquum, & certè hominum carnificina: & id omne quod in stupidos suæ ætatis medicos iustissimè Plinius inclamat. Etsi uerò, ut toties diximus, Hippocrati tanquam parenti & conditori artis summum honorem deferat Galenus, adeò tamen solius ueritatis studiosus sine ulla dissimulatione fuit, ut multis in locis ipsum, hoc est sermonem eius & scripta, arguat, ueluti non exactum, improprium, obscurum, inconditum, indistinctum: & modò imperfectam traditionem reprehendit: nonnunquam ineptitudinis, obliuionis imò etiam erroris & mendacijs accusat: Commentario secundo de uictus in ratione morbis acutis, circa phar-maca pleuriticis danda, ab eo dissentire uidetur. In quibus tamen omnibus aliquo modo excusari potest D. Hippocrates. aliqua enim ignorasse eum, aut etiam errasse in aliquibus, mirum non est, cum à nullis propemodum ante suum seculum scriptis fuerit adiutus: quod uerò negligentius quædam scripserit, hoc enim nomine, si ignorantiam atque errorem demas, cætera

Hippocrates à Galeno notat.

VITA AC DOCTRINA.

cætera comprehendere poterunt, id factum, quoniam sibi tantum, non ad editionem quædam scriptis mandavit, dici potest: Denique corrupta quædam & depravata à librarijs aut alijs quibusdam esse: & spuria quædam ei attribui.

Non uero diligens solum & eruditus fuit Galenus, sed ingenij quoque solertia & promptitudine minimè vulgari præditus, ἀρχίως καὶ εὐγενῆς πρὸς πάντας. Itaque multa ex sese didicit, sine præcepto re: septimo quidem Methodi, omnia se per seipsum inuestigasse scribit. Hoc ingenio & uniuersales morborum curationes, siue curandi indicationes excogitauit, & particulares quasdam, ut de sanandis oculorum doloribus: item neruis fauciatis, primus in hac curatione ausus modum prius usitatum immutare. Hac ingenij sagacitate sæpe aliqua circa ægros obseruauit, quæ ab alijs non animaduersa admirationem ei conciliarunt, tanquam ex arte diceret aut diuinaret quædam, quæ tamen sola industria & diligenti animaduersione, à quouis medio critere solerte intelligi poterant, quale est quod libro primo de sanitate tuenda circa animaduersum pueri plorantis desiderium de se scribit. Inuenta eius in arte fuerunt, neruorum curatio: locorum affectorum agnitio, quam primus in artem redegit: medendi ratio methodica, & sanitatis tuendæ præcepta: in sectionibus itidem non pauca, circa neruos & musculos præsertim, ueluti thoracis musculorum anatomie, & instrumentorum respirationis: & partium quarundam usus: dignotio pulsuum & ex eis præfagia: ac pleraque alia consimiliter, quæ non exiguæ & momentaneæ tantum, sed iustæ & maximæ totius artis partes sunt: adeo ut ante ea tempora manca adhuc & nondum integra fuisse medicina rectè uideatur. Quin & rebus quibusdam nomina primus imposuit, ut solutioni continui: & inter succos glutinoso contrarium uocauit rhypticum, id est, absterforium.

Solertia eius, & inuenta in arte.

Curationum quas feliciter peregit historias aliquot, iam supra memorauimus, ut hic repeti nihil attineat. Neruis quidem uulneratos omnes sanitati se restituisse profitetur: iuniorem adhuc à nullo edoctum, deperditam memoriam curasse: denique in artis operibus consensisse: sexcenties præfagiuisse in ægris, diaria ne febris laborarent, an ea quæ tertio quarto uel die aliquam accessionem esset habitura. Prima enim statim uisitatione, omnia febrim genera (quotidianam, tertianam, quartanam, semitertianam, καὶ σπονδία) mirè discernerebat: sicut & alios affectos plerumque primo die. sic & hæcticam febrim incipientem unam cum putrida agnouit: & aliquando ex solo colore locum in uisceribus affectum deprehendit. Denique semper summo studio in curando simul & præfagiendo se exercuit: tantum que profecit, ut aliqui eum uatem esse dicerent, tanquam diuinatrice arte, non medicinæ scientia, futura prædiceret. Non solum uero interiorum morborum curationem, ut plerique hodie medici, sed exteriorum etiam, & omnium quæ ad Chirurgiam pertinent, tractationem professus est. itaque ut neruorum, ita omne genus solutæ unionis curandæ uiam ac rationem expleuit. & cum in Asia maneret, aliquando chirurgiam exercuit: cum uero Romæ ageret, ciuitatis morem est secutus, permittens, quos chirurgos uocant, maxima eiusmodi operum parte.

Curationes & præfagia.

Quantum autem in chirurgia & ea medicinæ parte quæ manu administratur, ualuerit, tum historia quædam, tum inuenta ab eo pharmaca & emplastra testantur: quorum nonnulla propter insignem utilitatem nuper etiam in usum reuocari apud Italos cœperunt: sicut & alia quædam medicamenta composita ab ipso inuenta, quæ intra corpus dantur. Quin & Pharmacopœi interdum officioungebatur, ut cum Imperatoribus, eorumque amicis & opulentis uiris antidotos componebat: cumque oleum & adipem recondebat, ut inueteratis uti posset. Mirum autem quod nam fieri tandem pacto potuerit, ut unus tot negotijs abunde sufficere posset: idem quippe errorum castigator acerrimus, idem rerum multarum inuentor acutissimus, idem disceptator subtilissimus, grammaticus idem, rhetor, dialecticus, mathematicus, philosophus, medicus: nec uerbis tantum medicus, sed medendi idem usu exercitatissimus, ingenti quæ ægrotorum frequentia à studijs plerumque distractus: inter medicos eloquentissimus, inter eloquentes medicus acutissimus, inter utrosque diligentissimus, inter omnes denique maximus: & cum ipsius seculo philosophi medici quæ nomen plerique non distinguerebant (unde & logiatri forte & iatrosophistæ nomina sunt facta) ipse quanquam medicus simul et philosophus eminentissimus fuit, uel Antonino Imperatore ac Philosopho teste, plurimum tamen alterum ab altero differre, tum docendo scribendo que, tum re ipsa ostendit, ita ut facile iam cuius appareret optimum medicum, eundem esse philosophum oportere, non autem contra.

Chirurgia.

Pharmacopœia.

Quantum uero talis tantus que fuit, propter immensum tamen artis medicæ pelagus, quod (si ulla alia) longè late que patet, minimè mirum est si non omnia, præsertim particularia (quæ infinita esse solent) sit affectus: si dubitare se alicubi fateatur, & iam ætate prouectus etiam nonnulla addiscat: si etiam alicubi erret atque fallatur, in ijs nimirum quæ non ad præcipuas & uniuersales curandi indicationes unde ars constituitur, pertinent, sed alijs modis ad artem erudendam aut perficiendam referuntur. De causa quidem opifice foetus & animæ substantia, quorum utrumque supra medicum est, dubitat: prima die febrim continentem sine putredine, fatetur se non planè percepisse, cuius generis esset: in leguminibus aliquando hæsit, ut notauit Manardus. Et quanquam ex frequenti anatomie speculatione multa, quæ prius neuitiquam sibi uisa erant, aliquando animaduertit: multa tamen ipsum effugerunt, eam præsertim ob causam, quod,

Galenus alicubi dubitat, discit, fallitur.

Anatomie.

quod,

DE CL. GALENI

quòd, ut doctissimus & princeps in Anatomicis nostra ætate Vesalius animaduertit, hominem nunquam secuit: & simiarum sectionis quàm hominum studiosior, utrorumq; anatomen confundit: unde crebri eius in hoc argumento lapsus deprehenduntur. [Homines ipsum non dissecauisse: quæ uerò in humano corpore obseruauit, ea uel à simijs transtulisse, uel in abscessibus quibusdam aut chirurgicis operib. uidisse, ex libri de uenarum arteriarumq; dissectione capite septimo apparet.] Libros quidem de usu partium emendare aggressus, non plenè id præstitit: nec pauca, in his præcipuè libris, censore Vesalio, imaginatus est tantum, in animalibus non uisa. Eidem in Aristotelem uidetur iniquior, eiusq; carpenti studio, sui ipsius oblitus interdum. Interea tamen idem Vesalius tantum tribuit Galeno, ut medicinæ parens, rarum naturæ miraculum, summus naturæ admirator, & omnium bonorum author ab eo appelletur. In prima foetus è genitura formatione, cor aliquando putauit unà cum iecore statim ab initio gigni: postea uerò re maturius perpensa, omnino hepate posteriùs formari statuit. Porro nò solum eruditus, sagax & diligens in morborum curationibus, sed etiam fortunatus fuit, ut ipse de sese prædicat. Mihi quidem cum Satyrico fortuna rationem & prudentiam sequi uidetur, non separata aliqua uis uel causa esse.

Fortunatus.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te

Nos facimus Fortuna deam, coeloq; locamus.

De ijs quæ secundum naturam aut artem fiunt, idq; ut plurimum, loquor: nam si prouidentia diuinæ, hominis alicuius uitæ & actiones beare placeat: etiam si multa præter rationem fiant, & humana prudentia cesset, impediri non potest.

Dogmata.

Dogmata siue placita quædam peculiaria Galeni, quæ tum in philosophia tum in medicina approbãrit, non est quòd operosius hic unum in locum cõscribam: in præcedentibus enim sparsim pleraq; exposita sunt. & hoc imprimis, quòd sectæ nulli fuerit addictus, hoc enim à patre acceperat, ne ab ulla secta denominaretur, sed longissimo temporis spacio & sectas præcipuas addisceret omnes, & de illis iudiciũ ferret. Pyrrhonijs quidem maximè se opposuit, & Epicureis. Et quæquam in arte medica, uerissima Hippocratis dogmata sequi soleret: seruos tamè appellabat, quicumq; se uel Hippocraticos, uel Praxagoricos, uel ab alio quocunq; uiro nominabãt. eligenda autem ex singulis censèbat, quæ præstantissima essent. De substantia deorum & animæ nunquã pronuntiare uoluit. De triplici uerò animæ principatu pro Platone contra Aristotelem stetit. Nec tres animas, nec facultates animæ tres, sed tria principia dici debere, ei placuit. Insomnijs non parum tribuit: eorumq; alia diuinitus mitti, alia in natura suas habere causas censuit. Hepar uenarũ, sanguinis & nutritionis principium esse ostendit, non cor aduersus Aristotelem: et cerebrũ neruorum, sensus, motusq; testium quoq; naturam primus inuenit, totum alterare corpus: de generationis primordijs nostræ cõtra Aristotelem defendit Hippocratem & alia in humani corporis fabrica cõplura. Chrysiptum philosophum acutissimum ignorantia plerunq; reum peregit, cum alibi, tum in libris de placitis Hippocratis & Platonis.

Scripta in genere: & primum cur scripserit libros.

Libros autem conscripsit, per paucos quidem eo consilio ut euulgarentur: sed tres ob causas ferè: quarum prima est, ut amicis & familiaribus, præcipuè longam profectiõnem suscipientibus, gratificaretur, siue sponte rogantibus illis, siue inuitus propemodum, exoratus. eiusmodi sunt omnes quos introducendis composuit: & inter alios hi. Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur: De optima corporis nostri constitutione: De bono corporis habitu: De diebus decretorijs. In Epidemiorum libros Commentarij: De medicamentorum facultatibus. Contra Iulianum. Aduersus Lycum. De differentijs pulsum. Methodi medendi libri priores ad Hieronem, & eo defuncto reliqui ad Eugenianum. Commentarius in Prorrheticum Hippocratis. Sic in Glauconis philosophi, Boethi uiri consularis, & aliorum quorundã primariõrũ gratiam multa scripsit: multa etiam in cõmunem amicorum aut inferioris quoq; conditionis hominum usum: quòd eum facere adeò nò piguit, ut uoce uti interdũ non dubitaret humanissima illa, se uel unius tantum gratia, quem modò ueritatis studiosum cognouisset, dicturum scripturumq; omnia. Altera scriptorum eius causa fuit, ut cõmentando ad rem aliquam propositam sese exerceret, & ingenium non sineret ocio languere, sed lucubrando excitaret. Tertia deniq; studiorum suorum commoditas, cuius gratia breuiter tantum capita inuentorum à se consignare solebat, (amicis uerò rogantibus postea elaborabat, & pleniùs explicabat,) & ut Plato inquit, aduersus obliuionem senij commentarios reponebat. Imprimis autem operam dedit, ut quæ ante ipsum ab alijs obscuriùs aut imperfectiùs tradita erant, ipse dilucidius & pleniùs exponeret. Veritatis quidem ut unicè semper studiosus fuit, uel ad furorem usq; diuinum quendam, ut diximus: ita neq; loquẽdo, neque scribendo, gratia aut odio quicquam dedit: & ut quàm uerissimè omnia literarũ monumentis traderet, summopere curauit: mentiendi uerò ne causam quidem se habuisse, alicubi testatur: quinimò sibi etiam ne quis credat, nisi accedente ratione, hortatur. id uerò est ueritatem magis q; sese amare. quo nihil pulchrius, nihil diuinius, neq; φιλοσοφώτερον quicquam homini contingere potest. Hinc adeò nihil nisi in ipso medicandi actu à se declaratum, aut aliter examinatum probatumq; in scriptos à se libros retulit: Qua in re medici priores pleriq; peccauerunt, & Erasistratus, uir alioqui non illaudatus reprehenditur, & Dioscorides Anazarbensis, notatur: & nostro quoque tempore factitare solent homines, quibus domi desidentibus quicquid in mentem uenerit, promulgare,

Quomodo.

promulgare,

VITA AC DOCTRINA.

promulgare statim non uerentur: & de remotissimis etiam rebus, quæ fortè nunquam ad eas in quibus scribunt regiones peruenient, ut hippopotami aut elephanti sanguine, alia' ue huiusmodi, aut nimum peregrina, aut etiam abominabili, sine experientia nullo' que cum fructu aliqui nugantur. At Galenus dierum criticorum diligentem explorationem fecit, prius quam artem traderet. non eum ita mouit senis autoritas, ut fidem illi absque confirmatione sensus de rebus omnibus simpliciter haberet. Et medicamentorum simplicium commentarios cum longè prius cœpisset, undecimo demum anno post in lucem edidit, quod pharmacorum quorundam naturam ipsemet adhuc non comperisset: ut comperiret autem, diuersa remota' que loca adiit, ut alibi diximus. In usu etiam artis, ut supra dictum est, non adhibuit alia remedia, quam de quibus experientia ipsi constaret. Nos quidem de illis Galeni experimentis, quibus peculiare testimonium experientia suæ adscripsit, libellum olim edidimus. Ab ambitione autem cum alias, tum scribendo quam fuerit alienus, uel hoc unum clarissime ostendit, quod nulli librorum suorum suum ipse nomen inscripserit: quæ inter alias fortè causa est, cur spurij quidam pro genuinis sint admissi. Itaq; uerè, fideliter, candide, ac diligenter, eum omnia tradidisse constat. Quæ uerò ad commotiam artem attinent, & pulchritudinem non ueram inducunt, & si quædam nec inutilia, nec iniucunda scitu, in eis contineantur, & principes uiri ac matronæ ea aliquando a medicis requirant, & apud alios etiam homines honestus aliquando eorum usus esse possit, quamuis ea optima nosset, scribere per uerecundiam omisit. frequentior enim malus eorum quam rectus usus est. Venenorum uerò semper malus: quamobrem arcanas & exquisitas eorum compositiones minimè publicari oportere existimauit. tantum in eo honestatis, uitæ' que & salutis hominum amor ualuit. Vtile quidem fuerit hæc etiam cognoscere tum philosophos tum medicos homines, sed optimos duntaxat, & qui nunquam abutantur: hos, ut ijs qui ueneno quocunque læsi sunt, melius succurrant: illos, propter scientiam ipsam naturæ. sed literis mandari tutum non est, ac inter Christianos præcipue nefas. Per manus autem tradi amicis, optimis duntaxat, & ætate iudicioq; maturis, sat fuerit. Philtrorum, (inquit Galenus de simplicium medicamentorum facultatibus libro decimo capite primo) & eorum quæ ἀγώγικα, ὀνειροπομπὰ ac μισθῆρα uocant quidam, plane, nec si abunde illa forem expertus, mentionem facere in animum inducerem: sicuti nec letalium medicamentorum, aut ut ipsi loquuntur, παθοποιῶν. Nam illa sanè ridicula sunt, constringere ac uincire aduersarios, ut in iudicio nihil possint eloqui, aut grauidæ abortum afferre, aut ut ne unquam deinceps concipiat efficere, & quæcunq; eius sunt generis, uel impossibilia, uel certe mortalium uitæ noxia, &c. Porro cum adolescens adhuc quædam condiderit, exercendi nimirum sui causa, potius quam alios docendi: & ætatis progressu ad ultimam usque senectutem, nunquam à lucubrandi labore destiterit, magnum ætatis ratione, qua singuli ab eo perscripti sunt libri, in eis discrimen esse, quis dubitet? Fatetur ipse se iuuenem, ante annum ætatis suæ 43. curiosius & ambitiosius quædam scripsisse, quid igitur de illis sentiendum, quæ in adolescentia, & ferè puer adhuc exarauit? sed ea forsan pleraque non amplius extant. Tradit alicubi, se anno ætatis suæ 34. multos iam libros scripsisse: Et rursus, eo tempore quo Romæ fuerit secundo, (circa ætatis suæ annum 35. & 36.) expectans Antonini è Germanico bello reditum, multos ad philosophiam pariter & medicinam (de pulsibus præsertim & alijs signis, crisi, diebusq; criticis: & de differentijs febrium) spectantes libros conscripsisse: quos postea amicis flagitantibus legendos permiserit: & apud illos tantum futuros sperauerit. nam si dandos, inquit, indignis (qui non ut discant, sed ut calumnientur, legunt) scissem, ne amicis quidem eos præbuisssem. At librum de locis affectis in senectute composuit. Scripsit autem plurima, non solum in medicina: sed in philosophia, grammatica, geometria, ut author Suidas est. sed & ipsemet librorum suorum & numerum & rationem ac modum exponit, duobus operibus huic rei dicatis, quibus partem eorum iam tum interijisse, docet, incendio templi Pacis, (quo simul omnes etiam Bibliothecæ Palatii conflagrarunt) in quem locum reponere labores suos consueuerant eius temporis scriptores. Porro qui Galenum scribendi commentandiq; diligentia uicerit, scriptorum' ue in singulis propè artibus numero superarit, inuenias neminem. Ad quingentos enim omnes scripsit: quot uix scribendo tantum absolueret quisquam, nedum meditari simul ac literis mandare potuisse credatur: quorum tamen uix dimidia ad nos peruenit pars, ut doctissimus Iul. Alexandrinus animaduertit. Horum autem alij, ut dictum est, incendio sunt consumpti: alij propter barbariem temporum secutam in Asia Græcia' que, alias' que ob causas, perierunt: aliqui fortè, quod declamatorie & iuueniliter cōscripti essent. Ioan. Fernelius uerò in medicinæ suæ præfatione, præter ducentos & quadraginta inquit, quos de alijs disciplinis, de medicina supra quadringentos cōscripsit. Galenus (inquit Athenæus dipnosophista) tot philosophica & medicinalia uolumina cōdidit, ut scriptores ante se superarit omnes. Hanc Galeni scriptorū excellentiam, non ita multo post, agnouerunt doctissimorum hominum scholæ omnes: quando relictis sectarum nugamentis, ueram Hippocratis artem, ita tum stabilitam ut nulla sopherarum iniuria subuerti posset, amplecti solam & synceriter colere cœperunt: quo tempore ex ea ipsa certam opem & auxilium tutum mortales homines percipere potuere, cum prius non minus periculi ab arte sæpe quam ab ipso

Commotica.

Venenâ.

Qua etate
quid scripserit.

Quam multa.

Libri Galeni in
scholas medicorum recepti.

Arabes. morbo extitisset. Agnouerunt quoque minimè postremi, uiri Arabes, disciplinarum impigri cultores: qui monumenta eius uniuersa in suam linguam conuerterunt, & in manibus magno studio uersarunt, donec sublatis iniuria temporum, aut certè suppressis, Græcorum exemplaribus, Latinorum quoque hominum scholis interpretationes suas commodarent, non quidem tantum cum fruge, quantam ex ipso haurire studioso licebat: attamen non sine sua quoque utilitate. Præstitit enim ex illorum monumentis ita philosophari, quàm ad pristinam sectarum incertitudinem relabi rursus. Sed redijt ille tandem nobis, & in gymnasijs audiri gestit iterùm: Italicis autem scholis uehementer gaudet, quarum scholarum soliditatem integritatemq; in disciplinis utinam nostra iuuentus studiosius æmulentur.

Stylus. His de stylo eius & elocutione tractatione que ipsa sermonis, pauca adijciemus. Apparet sane summa in eo passim eloquentiæ uis: Oratio & fœcunda & elegans: non perplexa, non accersita, sed sponte lateq; fluens: admiranda quædam eloquendi quæcunque animo concepit facilitas, siue doctrinam ipse explicat suam, siue quæstiones dissoluit, siue ambiguitates enodat. Dialecto Græcæ linguæ utitur communi, sed elegantiore & ad Atticam deflexa, ubicunque citra affectationem (à qua prorsus alienus est, ita ut minimè Atticus uideri quàm affectator malit) fieri potuit. Quam uerò Atticæ & Ionicæ dialectorum fuerit peritus, indicauimus supra. Athenæus certè de ipso testatur, ὅτι ἔδυνός τῶν ἀρχαίων τὴν ἐρμηνείαν ἀδωατῶτερον γέγονε. Proprietati uocabulorum uehementer studuit, ita ut improprie locutos nō rarò notet: & interdum, rarissimè tamen, rerum aut affectionum quibus uocabula nondum propria erant posita, ipse comminiscatur. Utinam uerò, quantum patrij sermonis puritate, elegantia & cæteris laudibus ualuit: tantum etiam interpretum, quorum magna in eius libris uertendis diuersitas, oratio ualeret Latina, ac nō multum uenustatis, gratiæ multum subito amitteret Latinus factus. Quòd in interpretum suggillationem minimè dictum intelligi uolo: sed in arduam potius quandam interpretandi difficultatem, figurarum diuersitatem, & linguæ uerborum in illo copiam, paupertatem in hac. Verum sic quoque quàm non impolitus, neque inelegans, immò uerò quàm nitidus, quàm lacteus totus fuit? Ut quicumque posthabito hoc, Arabum malunt atque horum similium quorundam, meram sequi barbariem, hos ego eo natos ingenio existimem, ut obscura manifestis, perplexa

Interpres Latini. explicitis, aspera nitidis, tenebras luci præponere eodem exemplo possint. Quanquam autem ubique magnam in oratione perspicuitatis curam adhibuit, adeò ut qui scripta eius præcipua, eo quo par est ordine legunt, uel sine præceptoribus artem addiscere possint, modò neque ingenio tardiores sint, neque in primis disciplinis nimium rudes, & perexiguum aliquid adiuuenti a præceptoribus, aut alijs in arte peritis, aliqua demonstrantibus sentiant: non tamen humi repit ipsius dictio, nec artificio caret collocatio: ut neque contra nimium uel ascendit uel affectat, uel παθητικῶτερον est iusto: sed auream planè mediocritatem seruat, & modò κάλλος modò σεμνότητα, modò alias oportunas ideas, & laudatas in oratione uirtutes repræsentat. Hinc nescio quæ dulcedo ex doctrinæ simul & elocutionis eius temperamento oborta, mirificè legentium omnium animos allicit, ut qui semel gustarit, abstinere amplius ab eius scriptis non possit. Librum quidem de uenæ sectione aduersus Erasistrateos, humiliore stylo à se scriptum conqueritur. Accusant in eo multi prolixitatem, cuius tamen iustas uidetur interdum causas habuisse, non enim unum

Perspicuitas. in omnibus libris ei consilium fuit. In multis se accommodat introducendis, & illorum captui atque usui priuatim in quorum gratiam aliqua scribebat, quorum aliqui præceptoribus carebant, & procul etiam ab eo proficiscebantur. Itaque his in libris quædam alibi copiosius explicata con trahit, alia uerò fusius exponit. Galenum (inquit Fernelius in præfatione suæ medicinæ) multi Asiaticæ redundantia insimulant, quòd πολυγλωσσος nimium multa artium librorum que congerie, multorum studia restringat, & ad rem properantes distineat. Eum quidem fatemur miram persuadendi necessitate disputasse subtilius: sed quòd initio minimè statuisset uniuersam artem complere, breuem præcipiendi legem non obseruasse: eadem identidem locis compluribus inculcasse, nunc huc nunc illuc studio reprehendendi auidè ferri, sicq; sapius ambiguitate lectoris animum distrahere. Hæc ille. Sed utcunque est, ij certè qui præceptoribus destituuntur, plurimum debent Galeno, quòd fundamenta & præcipua capita artis tam plenè & διεξοδικῶς sit perfectus. Est ubi seculi eius mores, & in re medica sectarum peruersitas, aut philosophorum quorumdam pertinacia, hanc prolixius quædam discutiendi abundantiam ei extorserint. Accedit huc quòd natura ipse, utpote Asianus, in dicendo copiosior erat: & insuper ingenij bonitas, qua præditus cupiebat summo candore, & optima fide, omnes omnia quàm liberalissime, καὶ ὡς ἀφθονώτατα, edocere, ita ut ne hebetiores quidem desiderare in eo quicquam possent. atq; ita factum est

Prolixitas. ut plerumq; sit prolixior, in ijs præsertim libris quos iunior adhuc condidit. Sed ut in multis quantum dicendi copia possit, ostendit, ita in duobus ad Glauconem therapeuticis, Arte medica, et alijs fortè paucis, quantum artificiosa breuitate ualeat, declarauit. Libro tertio de difficultate respirationis, malle se esse loquacem, scribit, quàm suspicionem falsi dogmatis incurrere. huius enim nulla solatia esse ait, loquacitatis uerò aliqua. deinde hortatur eos, qui etiam pauca fastidiunt, ut que uoluerint sibi deligant, reliqua ceu nō scripta transgrediantur. Quemadmodum enim

Breuitas. (inquit)